



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

1. Inter multiplices &c. Proscriptio Actuum editorum à Clero Gallicano pro  
declaranda Ecclesiastica Potestate an. 1682. sub Innocentio XI. quos hîc  
prius referre placuit; an. 1690.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

ANNO  
1690.

Decernentes insuper præfentes literas semper & perpetuò validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere: Sicque per quoscunque Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate fungentes, & functuros ubique judicari, & definiri debere, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane, quicquid secus super his à quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem Fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergò omninò Hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, damnationis, reprobationis, punitionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo octuagesimo septimo, duodecimo Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno duodecimo.

F. Datarius, J. F. Albanus.

Visa de Curia.

S. de Pilastris.

Registrata in Secretaria Brevium.

D. Ciampinus.

Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo, Indictione undecimâ, die verò 19. Februarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris D. N. D. Innocentii divinâ Providentiâ Papæ XI, anno ejus duodecimo, presentes literæ Apostolica affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Sancti Johannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, & aliis locis solitis & consuetis Urbis, per me Franciscum Perinum S. S. D. N. Papæ, & Sanctissima Inquisitionis Cursorem.

ANNO  
1689.

ALEXANDER OCTAVUS,

PONTIFEX CCXLV.

ANNO DOMINI MDCLXXXIX.

Alexander antea dictus Petrus Otobonus an. 1689. Pontifex renunciatur. Romanam Ecclesiam Menses sexdecim administravit: Molinismi reliquias delere satagit: Plures Sanctorum Albo adscriptit. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. 1727. Tom. VII. Fol. 79. App.*)

Proscriptio Astuum editorum à Clero Gallicano pro declaranda Ecclesiastica Potestate an. 1682. sub Innocentio XI. quos hic prius referre placuit: an. 1690.

## IV. PROPOSITIONES.

I. Beato Petro ejusque Successoribus Christi Vicariis ipsique Ecclesiæ, rerum spiritualium, & ad æternam Salutem pertinentium, non autem civilium, ac temporalium à Deo traditam potestatem, C. Reges ergo, & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subijci, neque auctoritate Clavium Ecclesiæ directè, vel indirectè deponi, aut illorum subditos eximi à fide, ac obedientia, ac præstito fidelitatis Sacramento solvi posse &c.

II. Sic inesse Apostolicæ Sedi, ac Petri Successoribus rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistant S. Oecumenicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ipsorumque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesiâ Gallicana perpetua Religione custodita Decreta, de auctoritate Conciliorum Generalium, quæ sessione quanta, & quinta continentur &c.

III. Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos &c.

IV. In Fidei quoque quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque Decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinere: Nec tamen irreformabile esse judicium, nisi consensus Ecclesiæ accesserit.

## REGIS DECRETUM.

Ut ea Propositiones in universa ditione, & Provinciis, atque Academiis Regnorum suorum defendantur, & singulas graduum aliquem literarum in Theologia, aut Jure Canonico accipiat, nisi jurata prius earum defensione.

Hæ sunt Propositiones Cleri cum Decreto Regio, sequitur statim Bulla Alexandri Papæ VIII. ubi earundem proscriptio continetur.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, &amp;c.

Inter multiplices Pastoralis Officii nostri curas, quibus jugiter premimur, in illam peculiari studio incumbimus, ut Apostolicæ Sedis, ac universalis Ecclesiæ, nec non etiam singularum Ecclesiarum, Locorumque, ac Personarum Ecclesiasticarum Jura, ubique sartarecta ac illibata tueri, & conservare, eaque adversus quæcumque, per quæ illis aliquid detrimenti inferri possent, traditâ Nobis divinitus potestate, vindicare satagamus, omnibus maturè ac debitè pensatis, justitiæ ac rationi consentaneum esse in Domino arbitramur. Cum itaque, ex quo primum humilitatem nostram inscrutabili divinæ suæ providentiæ arcano in suprema militantis Ecclesiæ specula collocavit Altissimus, præ cæteris, quæ Pontificiæ nostræ sollicitudini sese obtulerent, negotiis, illa in primis gravissima in Nobis

qui

ANNO  
1690.  
Ex Berni  
Historia  
dell'Ere-  
fi. Tom. 4.

ANNO  
1690.

qui charissimum in Christo Filium nostrum Ludovicum Francorum Regem Christianissimum, ac florentissimum illius Regnum in visceribus gerimus charitatis, permolesta, & plane acerba acciderint, quæ sive adversus dicti Regni Ecclesiarum Jura, sive adversus Romani Pontificis, & Ecclesiæ universæ auctoritatem, nonnulli Venerabiles Fratres Archiepiscopi, Episcopi, & alii ejusdem Regni Ecclesiastici Viri in Comitibus Cleri Gallicani Parisiis an. 1682. congregati, tum præfatio inibi per eos extensioni illius Juris, quod vocant Regaliæ, ad omnes dicti Regni Ecclesias assensu, tum edita subinde de potestate Ecclesiastica quatuor propositiones continente declaratione peregerunt, quæque ipsa Comitibus subsecuta fuerunt mandata, arresta, confirmationes, declarationes, Epistolæ, Edicta, & Decreta quæcunque à quibusvis Personis, Ecclesiasticis sive Laicis quavis auctoritate, & potestate fungentibus, edita, seu publicata, nec non quæ aliis nonnullis ab hinc annis in Regno præfatio eidem Sedi Apostolicæ Romanæque Ecclesiæ, seu quibuscunque aliis Ecclesiis, Monasteriis, & Locis piis, illorumque respectivè Personis, rebus, bonis, & juribus, seu aliis Jurisdictioni, immunitati, aut libertati Ecclesiasticæ quomodolibet præjudicialia quovis modo peracta, ac gesta fuerunt. Hæc nos, qui Jurium Ecclesiasticorum assertores in terris à Domino constituti sumus, dies, noctesque in amaritudine animæ nostræ cogitantes manus nostras cum lacrymis, & suspiriis levavimus ad Dominum, eumque toto cordis affectu rogavimus, ut Nobis potenti gratiæ suæ auxilio adesset, quò in re tam ardua commissi nostri Apostolici muneris partes salubriter exequi valeremus: Eaque consideratione adducti, ac ne supremo Judici rationem villicationis nostræ reddiduri, negligentia in credita nobis administratione argueremur ( quantum divina bonitas dedit ) nihil hucusque prætermisimus, quò præjudicialia præfata ab iismet, qui ea peregerant, ex animo retractarentur. Verum quò efficacius, ac uberius Sedis præfata, Ecclesiæ universæ, Jurisdictionisque, & immunitatis, ac libertatis Ecclesiasticæ, Ecclesiarumque, Monasteriorum, & Locorum piorum hujusmodi, illarumque Personarum præfatarum indemnitati perpetuis futuris temporibus consultum sit, auditis quam plurimum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, & nonnullorum in Sacra Theologia Magistrorum, ac etiam in Decretis Doctorum ad examen negotii hujusmodi à nobis specialiter delectorum, qui illud maturè discusserunt, remque totam nobis exposuerunt, Sententiis, quantum nobis ex alto conceditur, providere volentes, ac fel. rec. Innocentii Papæ XI. Prædecessoris nostri, qui in occasione rescribendi ad literas, quibus Archiepiscopi, Episcopi, & alii Ecclesiastici Viri supradicti de rebus ab ipsis gestis certiorum eum reddiderant, per quasdam suas in simili forma Brevis die 11. Aprilis 1682. expeditas literas improbat, rescidit, & cassavit, quæ in dictis Comitibus acta fuerant in negotio Regaliæ cum omnibus inde sequentis, & quæ subinde attentari contigisset, eaque perpetuò irrita, & inania declaravit, vestigiis inhaerentes; Nec non in dictis Comitibus anni 1682. circa extensionem Juris Regaliæ, quam circa declarationem de potestate Ecclesiastica hujusmodi actorum, ac etiam omnium, & singulorum Mandatorum, Arrestorum, Confirmationum, Declarationum, Epistolarum, Edictorum, Decretorum quavis auctoritate sive Ecclesiasticâ, sive etiam Laicali editorum, seu publicatorum, nec non aliorum quomodolibet

præjudicialium præfatorum in Regno supradictis, quodcumque ex quacunque causa, & quovis modo factorum, & gestorum, ac infectorum quorumcumque, etiam specificam, & individuum mentionem, & expressionem de necessitate requirentium tenores, & datas etiam veriores, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, & exactissimè specificatis habentes: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia & singula, quæ tam quoad extensionem Juris Regaliæ, quam quoad declarationem de potestate Ecclesiastica, ac quatuor in ea contentas propositiones in supradictis Comitibus Cleri Gallicani an. 1682. habitis acta, & gesta fuerunt, cum omnibus, & singulis mandatis, assertis, confirmationibus, declarationibus, epistolis, edictis, & decretis à quibusvis Personis, sive Ecclesiasticis, sive Laicis quomodolibet qualificatis, quavis auctoritate & potestate, etiam individuum possessionem requirentem, fungentibus, editis, seu publicatis, nec non reliqua omnia quæcunque, & quacunque eidem Sedi Apostolicæ, Romanæque Ecclesiæ, vel Jurisdictioni, immunitati, vel libertati Ecclesiasticæ, seu aliis Ecclesiis, Monasteriis, & Locis piis præfatis, illorumque respectivè & personis, rebus, bonis, privilegiis, prærogativis, & juribus quibuscunque quomodolibet præjudicialia in dicto Regno peracta, & gesta cum omnibus, & singulis quodcumque inde secutis, & quocunque tempore sequuturis, ipso Jure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque & effectu penitus & omnino vacua ab ipso initio fuisse, & esse, ac perpetuò fore, neminemque ad illorum, seu cujuslibet eorum, etiam si juramento vallata sint, observantiam teneri, neque ex illis cuiquam aliquod Jus, vel actionem, vel titulum etiam coloratum, vel possidendi, aut præscribendi causam, etiam si longissimi, vel immemorabilis temporis possessione, citra ullam interpellationem, vel interruptionem subsecuta sit, vel subsequatur, acquisitum fuisse, nec esse, minusque ullo tempore acquiri, & competere posse, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si nunquam emanassent, vel facta fuissent, pro non extantibus, & non factis perpetuò haberi debere, tenore præsentium declaramus, & decernimus, & nihilominus ad abundantiorum cautelam, & quatenus opus sit, acta, & gesta præfata, aliaque præmissa omnia, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus improbamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus, & contra illa, deque eorum nullitate coram Deo protestamur. Decernentes easdem præsentis literas, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, etiam specifica, & individua mentione digni illis non confenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causa, propter quas eadem præsentis emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia quacunque causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium, vel habere prætendentium consensus, aliove quocunque, etiam quantumlibet magno, ac incogitato, inexcogitabileque defectu, aut ex alio quovis capite à jure vel facto, aut statuto, consuetudine, vel privilegio resultanti, impugnari, invalidari, retractari, in con-

ANNO  
1690.

ANNO  
1690.

troversiam vocari, seu ad terminos Juris reduci ullatenus posse; Sed ipsas presentes literas semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus fortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit, inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. Ecclesie Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ præfatæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præminentiam, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & autoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis, Generalibus vel Specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ regulâ de Jure quæsito non tollendo, legibus quoque, etiam Imperialibus, & Municipalibus, nec non quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, & literis Apostolicis quibuscunque locis, & personis, etiam regali, & aliis quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requiruntibus, sub quibuscunque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, & aliis quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, & pluries iteratis, & quantiscunque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur, & infererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum & gentium in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majoram sub annulo Piscatoris die quarta Augusti 1690. Pontificatus nostri anno primo.

BREVE ejusdem Pontificis ad LUDOVICUM Francorum Regem.

*Charissimo in Christo Filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo.*

ALEXANDER PP. VIII.

*Charissime in Christo Fili noster, Salutem &c.*

Cum in summopere metuendo mortalis hujus vitæ confinio constituti, de reddenda Judici districto & pulsanti, demandatæ nobis in Ecclesia Dei supremæ administrationis ratione serrio cogitemus, nostrarum esse partium omnino duximus, irrita atque inania declarare omnia, quæ aliquot ab hinc annis in isto Regno tuo, sive adversus Ecclesiarum ejusdem Regni, Personarumque, & Locorum Ecclesiasticorum Jura, sive aliâs adversus Romani Pontificis, Apostolicæ Sedis, Ecclesiæque universæ autoritatem acta, gesta, & respectivè pronunciata fuerunt, quæque inde quomodocunque secuta, & secuta sunt, sicuti ex Brevis hac super re edito manifestè apparet. Quia verò nullis concluditur finibus charitas, quâ Majestatem tuam complexi semper fumus, & complectimur, susceptam à nobis perquam necessariam hujusmodi deliberationem hisce tibi significamus, effuso cum paterni cordis affectu, etiam atque etiam à te flagitantes, ut ipsam æqui, bonique habeas, ac ab universis prædicti Regni tui Ordinibus fideliter servari cures. Sanè ubi id præstes, quemadmodum à Filio suo primogenito præfata Sedes, & Ecclesia jure merito expectant, constantem tibi ab illo, per quem Reges regnant, secundorum eventuum faustitatem polliceri procul dubio poteris, dum nos sollicitudinem nostram firmâ hæc spe non parum levantes Majestati tuæ Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur.

Datum Romæ &c. die trigesima Januarii 1691.

INNOCENTIUS DUODECIMUS,

PONTIFEX CCXLVI.

ANNO DOMINI MDCXCI.

Innocentius Neapolitanus, antea Antonius Pignatellus, in pauperes misericos, à suis alienissimus. Quamobrem Lateranense Palatium pauperibus curandis alendisque adscripsit, & Constitutionem edidit celebrem admodum, quâ Pontificum consanguineos Ecclesiæ bonis ditari interdixit. Ut Jus Romæ commodius redderetur, Tribunalia per Urbem dispersa unum in locum coëgit, Centumcellas Urbis Titulo donavit, Antium portum reedificandum curavit. Obiit anno 1700. Sedis Decimo (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. 1727. Tom. VII. Fol. 119. App.*)

Damnatio Libri Parisiis anno 1697. impressi, cui titulus: *Explication des Maximes des Saints sur la vie interieure &c.* anno 1699.

INNOCENTIUS PP. XII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Cum aliâs ad Apostolatus nostri notitiam pervenerit, in lucem produisse librum quemdam

ANNO  
1691.ANNO  
1691.I.  
Ex Cal-  
vorus  
Hist.  
Schism. p.  
588.

Gallico